

NEGLECTVS. puta  
EXPOSITITII PVERI.

Quicumque exponitur, quocumque consilio, huius sunt loci. Qui ipsi etiam ad locum Mortis pertinent, quatenus moriuntur in prima aetate. Sin conseruatur, ad Tir. Vine conseruata. Porro Sanguinolenti, infantes expositi Latini dicuntur, quod recens nati efferrentur.

Vide de his Locum particularem in Littera E.

## Fons.

## DEFINITIO ET ETYMOLOGIA.

**F**ons est locus vnde funditur aqua viua, secundum Varonem l. 4. de ling. Latina. Isid. vero lib. 13. c. 21. Fontem definit caput nascentis aquae, quasi fundens aquas. Graeci hodie *βύρων* fontem vocant, à *βύρω*, id est, scaturit, at melius alij cum Veteribus vtuntur nomine *αβύρα* vel *αβύρα* pro fonte. Transfertur vt significet cuiusque rei originem & causam.

## \* ORIGO FONTIVM.

**F**uerunt qui intra terram cauitates aliquas, & alueos esse censuerunt, & intra illos recipi imbres; ac ex iis generari Fontes. Melius Aristoteles, fontium originem ad terrae sinus deducit, intra quos aqua & aer recipiuntur, & in aquam resoluuntur.

Alij è mari fontium fluminumque paternitatem deducunt. Ita D. Bassilius hom. 4. Hexam. Hieronym. ad c. 1. Ecclesiast. vbi ita dicitur; Omnia flumina intrant in mare, & mare non reduntat: ad locum vnde exeunt, reuertuntur.

Sane quidquid de hac re sit, constat ex sacris Litteris, Deum die tertio aquas omnes in vnum locum congregasse, easque terrae cauernis inclusisse, ac per occultos meatus dispersisse, vnde fontium parata materia, & abundans copia promanauit.

## FONTES CONSIDERATI respectu

## QUANTITATIS. Vbi Fontes

Multi.

¶ Ex loco Fertilitatis huc quaedam.

Nulli.

**C** Argiuorum regionem: aquis abundante concedunt, urbem vero ipsam Argos in loco iacere arido, in qua copia puteorum fit, quos Danaïdum adscribant solertia: eos enim illas inuenisse. Quo ex facto versus ille vulgatur:

ἀργὸν ἀνυδρον ἔδωκεν, ἀρακαὶ δὴ αὐτὸν ἀργὸν ἔβροχον.

Argos aquis vacuum Danae struxere redundans.

Ex puteis autem quatuor insignes habentur & sacri, quos eximia veneratione colunt: qui in aquarum penuria, aquarum abundantiam inducunt Strabo l. 8.

## MOTVS.

In paruo Lusitaniae oppido, quod vulgò Villamnouam vocant, distatque à Castra ciuitate passuum millia circiter vndecim, fons oritur Kalendis Maiis, & ad Kalendas vsque Nouembres aquas Villanouanis abundè diffundit: postea verò occultatur, latè que hyeme tota: & ad statutum tempus, hoc est, ad Kalendas Maias, renascitur, & accolas reuiscit. Marinius l. 1. de rebus Hispan.

In Islandia fontes sunt complures, qui modò plenis exundant alucis, & in sublime assurgunt, modò deprimuntur & absorbentur. Saxo.

**D** In Bernensium ditone, non procul ab Hastensium municipio, Alpes Engistiliz occurrunt, Iunio, Iulio & Augusto mensibus habitabiles, iisdem mensibus solis ex scopulo profluit fons vberimus, bis in die, manè & vespèri, quando pecora adaquantur: iisque resectis sensim euanescit. Sorpedium iniectionem Nymphae eius loci tanta fert impotentia, diu per aliquot dies aquam denegare solet, nec nisi expurgato aluco, & veluti propitiato numine, ad officium redeat. Testis experientia. Struppius l. 7. Heluetia.

## QUALITATIS. HVC FONTES

Calidi. Thermae.

Callirhoe fons calidus, medicae salubritatis, aquarum gloriam ipso nomine praefrens, prope Asphaltitem Palaestinae lacum, Plin. l. 5. c. 16.

Ad Syriae Hierapolim calidae aquae scaturiunt, & Plutonium est: sibi aqua adedè facilliter in tophum duratur, vt qui aqueductus deducunt, ex integro topho fistulas conficiant. Plutonium est os, in paruo quodam imminens montis supercilio, ita commensuratum vt hominem suscipere possit, mixta profunditate, huic propositum est vallum quadratum

ambitu fere femiugero, quod nebulosa & crassa caligine plenum est, vt vix solum discerni possit. Ad septem appropinquantibus, aer innoxius est, purus ab illa caligine, in tranquillitate ventorum. Nam caligo intra ambitum manet. Si vero animal introsum progrediatur, statim moritur. Quapropter tauri introducti cadunt, & mortui educuntur. Nos inquit Strabos, passeres immisimus, qui subito mortui ceciderunt. Galli vero exerti illasi accedunt, vt etiam vsque ad os appropinquent, & introspectant & immergantur quovsque possint spiritum continere. Strabo lib. 13.

In Ionia xi. stadiis procul à Smyrna; thesma sunt, in quas Graeci ex oraculo descendere iussi, à Mysis multis vulneribus affecti, cum ad Troiam, duce Agamemnone, profiscerentur, sanati sunt. Inde nomen meruerit, vt Agamemnonia dicerentur. Philostratus in Proteislo.

In Thracia vrbs est Anchialus, quam Sardanapalus Parthorum rex (teste Iordane) ex fundamentis erexit, intra limbum maris, & Hemi montis radices. Ibi calidae aquae quingentis milliario ab vrbe distantes, ab imo sui fontis igne scaturientes, tam salubres esse creduntur (Gothorum testimonio, qui direpta sub Galieno Asia illis sese refocillarunt) vt vix in vniuerso orbe aequae salutare pro reparandis hominum membris inueniantur. Ioannes Magnus l. 16. c. 14. & Cranzius l. 2. Suecia c. 8. ex Iordane.

In Isthmo Corinthiaco è regione Cenchræi promontorii, sunt Helenæ balneae. Aqua à saxo in mare defluit, multa illa quidem, & salina, nihilo calidior quam aquae igni primum intepuerit, Pausanias in Corinth.

Campus est Caldi adiacens Lilantus dictus, in quo calidarum scaturigines aquarum erumpunt ad curandos morbos. Quibus Corn. Sylla Romanorum Imperator est vsus. Adfuit quoque admirabile aris ac ferri commune metallum, quale nusquam provenire memoriae proditur, hoc tempore vtrumque profus euauit. Strabo l. 10.

Lebediorum ager (quem primo Cares, deinde Iones obtinere) in signi fecunditate fuit, & calidarum in eo aquarum balneae plurimae saluberrimae. Pausanias in Achaicis.

In Isthmo agri Traceniortum, à Methanis oppido stadia ferme xxx. abunt calidarum aquarum balneae salae. Aquas eas è scatebris primùm erupisse aiunt, Antigono Demetrii filio in Macedonibus regnante, ac prius quidem repentinis ignibus eum locum aetualse. Ibi qui lauerint, frigidis perfundi non possunt, quod neque dulces vllae prope sunt, neque potest quisquam sine periculo se in proximum mare, natandi causa, mittere, propter cum alias belluas, tum vero canes, quorum vim magnam pelagus illud gignit. Pausan. in Cor. ib.

Lipara vna Aelidum insularum, balneis, ad valetudinem pristinam recuperandam abundat. Profert metallum celebre, quod alumen appellant: ex quo Lipareses Romanique magnum percipiunt vestigal. Nam cum nullo alio in loco Orbis alumen generetur, magnos affert huic insula quaestus. Diodorus l. 5. c. 3.

Thermae salubres recenset Plinius lib. 31. cap. 1. Aquitania apud Tarbellos, & in Pyrenæis montibus, Puteolos in Campania; Statiellas in Liguria; Sextias in Narbonensi provincia, nusquam tamen largius quam in Baiano sinu, nec pluribus auxiliandi generibus: in Campania itidem Sinuessanae sterilitati feminatum & virorum insaniam medentur: in Aenaria insula calculeosis. Plin. lib. 31. cap. 1. plures alias recenset.

Quidam fabulati sunt, Gigantes è Phlegra Campaniae vicina pulso ab Hercule terram subiisse, atque ex illorum cruore fontem Leteae foetidum odorem habuisse, Phlegramque Campaniae oram fuisse vocatam, quod igni calidarumque aquarum fluxu abundarent, totisque Baiarum & Cumarum tractus sulphuris & ignis naturam referentes aquas emitteret, Calidas ideo esse inquit, quod vulnerum flammam abluerint, eum ex ipsius fulminis natura sulphur oleant. Aquae calidae ad Budam in Hungaria vergunt in oceanum, distantque à moenibus stadiis ferme duodecim: mirabilis autem earum natura fertur, quum scaturientes aquae tantus se feruor, vt pede vix tentari possit, & in eam à laniis proiecti sues facile depilentur, nec ranæ tamen intereant; quae frequentes innatae conspiciuntur. Iouius l. 39. Hist.

Fabariae Thermae apud Rhetos, ad Fabarium, Caenobium Benedictinorum vetustissimum, sub Friderico II. Imp. auctis.